

mibi Dominus in illa Die iustus Iudex . De Corona in postremo tantum Judicio speranda heic agi Burnetus censet . Nos vero longe æquius contendimus , significari heic ab Apostolo Coronam , statim post mortem reddendam . Nam illa Dies referunt ad Resolutionem , idest ad separationem Anime a Corpore . Habes heic Diem Resolutionis , quam subsequitur Corona Justitiae . Alibi habes Diem Dissolutionis , quam statim sequitur Essē cum Christo : uti & peregrinari a Corpore , si ve Mori , cuius peregrinationis finem illico excipit Præsentes Essē ad Dominum . Quid igitur ultra de mente Apostoli dubitandum est ? Et potissimum quia vitam ille suam e publicis ludis sive certaminibus antiquorum metitur ; in quibus notissimum erat , victori sine mora delatam fuisse Coronam atque Bravium , non vero post aliquot annorum millia , uti vellet Burnetus . Propterea incassum ille subsequentia ejusdem Patili verba laudat . Liberavit me Dominus ab omni opere malo , & salvum faciet in Regnum suum Cœlestis . Ita rectius nobis , immo nobis tantum , militant , atque in evidentiam nostri dogmatis transeunt , si cum iis jungantur Apostoli ejusdem verba , eupentis dissolvi . Essē cum Christo , quæ memoravimus . Locum quoque Patili II. ad Thessalonicensi . 7. innuit Burnetus , ubi ait : Et vobis , qui tribulamini , Requiem nobiscum in Revelatione Domini Iesu , de Cœlo cum Angelis virtutis ejus &c. quum venerit glorificari in Sanctis suis &c. At respondeat Burnetus Hammondo & alii , qui locum hunc , aliaque similia de vindicta & retributione propediem facienda , pertinere censet ad excidium Regni Judaici , quod Dominus Matth. xxiv . & alibi jam imminere prænuntiavit , quanquam tam horrende Tragedie diem occultum semper voluerit Apostolis suis . Proinde Hammondus idem hæc alia Christi verba Matthi . 27 . Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis ; & tunc reddet unicuique juxta opera sua . Amen dico vobis . Sunt quidam de heicstantibus , qui non gustabunt mortem , donec videant Filium hominis venientem in Regno suo : ad ipsam desolationem Hierosolymæ resert , quæ sane peracta fuit , viventibus adhuc nonnullis ex Apostolis & discipulis Domini . Atque id accurate animadvertendum . Neque enim semper de sopremo Mundi totius Judicio loquitur venturi præscius Salvator , sed etiam aliquando de peculiari illo Judææ gentis Judicio , in quo redditurus erat unicuique juxta opera sua , ut intelligamus , cur Paulus atque alii Apostoli persuasum haberent fieri potuisse , ut eversio Hierosolymæ , vel dum ipsi viverent . complenda foret . Et tunc quidem bonis ac tribulatis pro Christo , Requiem noper vidimus II. ad Thessalonicensi . I. 7. promissam . Nam si iis , ad quos Epistola hæc scripta fuit , expectanda fuisset Requies in fine Mundi , non consolationem , sed desperationem ingessisset Apostolus . Quid vero foret ejusmodi Requies , indicatum in eodem loco videoas , dicente Paulo : In exemplum justi Judicij Dei , ut digni habeamini in Regno Dei , pro quo & patimini .